



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

Pars 2. quomodo audienda Missa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

maiores vitam perfectionem præferunt & amplius Domini servitium profitentur, hunc ei accessum nequaquam denegare deberent: *Quid perversitate minus diligis à quo amplius accepisti?* instat Antistes Hypo-
 ponensis, ideoque *Charitas, o sponsa Christi, quæ te separavit à seculo* (vox est Bernardina) *ipsa te conjungat Deo.*

L. de Vir-
 gin. c. 40.
 De modo
 bene vi-
 vendi
 Serm. 41.

P A R S II.

Quomodo audienda Missa.

ID quatuor conditionibus expedio, quarum
 PRIMA requirit, ut in tempore te præsentem
 sistas, non accedendo quando jam inchoata est, sed
 principium ejus præveniendo: ratio evidens est:
 nonne magis conveniens est Ancillam Dominum,
 quam Dominum præstolari Ancillam? Quis dubi-
 tet? Ancilla Christi es, non ergo is te præstoletur in
 Ecclesia & Altari, sed maturiori accessu tu eum ven-
 turum præstolare, qui se jam ad adventum præparat
 quando instat hora sacri, quæ tibi dici imaginaberis: *Matt. 25:*
Ecce sponsus venit exite obviam ei. Docet id te Elias qui
 Domini visione & alloquio fruiturus se prius in spe-
 luncâ collocavit, & aliquo tempore expectavit ut
 Dominum transeuntem videret: *Operuit vultum suum*
pallio, inquit scriptura, *& egressus stetit in ostio spe-*
luncæ, ubi audivit vocem Domini: docet inquam
 is te, ut Dei desiderio mota ilico ad Ecclesiam ad-
 venias, præstò sis & Dominum ad eundem locum
 accessurum quasi prævenias. *3 Reg. 19:*
13.

Imitare itaque Annam Tobiaæ conjugem, quæ fi-
 lium reducem suspirans: *Quotidie circuibat vias* *Tob. 10:7*
 K *omnes,*

omnes, per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum, si fieri posset, venientem. Neque tu expectas hominem cum nummis ut illa, sed Dei filium, animæ tuæ Sponsum cum gratiarum thesauris. Æmulare Abrahamum qui in ostio tabernaculi sui confidens hospites præstolabatur, iisque visis *cucurrit in occursum eorum*, gratiorem hospitem tu præstolaris, non Angelos ut ille sed Angelorum Dominum, constet ei suum tibi gratum esse adventum, non te præveniat, sed tu eum anhela expectes. Tres Magos imitare Jerosolymam advolantes & dicentes: *Ubi est qui natus est Rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in oriente, & venimus adorare eum.* Quasi renascitur is in Altari (ibi suavissimi *Frumenti* deliciae momento maturescunt) ut meritorum suorum te participem reddat, rumpe moras, propera ad ejus adorationem: *Vidimus stellam ejus, & venimus*, veni & tu, ut præpares thus orationis quod ei incendas, aurum ignitorum affectuum quod ei deferas, & myrrham mortificationis, quâ putredinem vitiorum a te repellendo ei te perpetuam famulam serves: hæc inquam præpara antequam adores, & ut præparata sint, in tempore accelera. Æmulare denique duos illos discipulos Petrum scilicet & Joannem currentes ad sepulchrum, de quibus sacra Pagina: *currebant autem duo simul, & ille alius Discipulus præcucurrit citius Petro.* In Petro, fidem, ex Matth. 16. c. & in Joanne notum est dilectionem adumbrari, fidei sacramentum est Eucharistia:

*Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides
Præter rerum ordinem.*

ad eam trahat te fides tua, sed dilectio tua præcur-
 rat, ut ante ei adsis, quàm necessarius fit actus fidei:
 Altare monumentum Christi est, dilectio tua hîc
 quærat dilectum suum: Quæ huc non properant,
 ostendunt eæ quo animo ferantur in Christum: certè
 non sunt voluntariæ famulæ quæ ad vocem vocantis
 non comparent, sed tardæ & segnes, quas, ut odit Pa-
 terfamilias terrenus, ita & cœlestis. Est quidem mo-
 ris in sponsis secularibus, ut sponsus sponsam præsto-
 letur, at in mysticis contrarium obtinet, praxis hîc
 planè alia: *Vox dilecti mei pulsantis: aperi mibi soror* Cant. 5:2.
mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quis
 hîc non aliqualem patientiam speraret? *surrexi, ut* vers. 5.
aperirem dilecto meo pessalum ostii mei aperui dilecto vers. 6.
meo: at ille declinaverat atque transierat. Et quare,
 nisi quia moras odit?

SECUNDA exigit, ut ei sine tædio interfis, id
 est, ne conqueraris de nimia Sacerdotis morâ ad Al-
 tare, vel ne ad finem Sacri anheles: plurimum est hoc
 vitium, quibus eò gratius est Sacrum quò magis præ-
 cipitatum, quique ea Tempia præferunt ubi divina
 maximè præcipitanter peraguntur, quos acriter re-
 darguit S. Augustinus: nec minus reprehendendi fe- Serm. 25:
 stini Sacerdotes, cùm alloquantur Deum quomodo de temp.
 non alloquerentur homines, quid namque hi dice-
 rent si eâ illos præcipitantiâ affarentur, & non nisi per
 Syncopen suos conceptus exprimerent? & licèt in-
 telligat Deus etiam linguam volubilem, repugnat ta-
 men ea reverentiæ ei deferendæ, neque ad illa debita
 attentio haberi potest quæ tantâ præcipitantiâ per-
 aguntur & proferuntur, quare etiam vulgò talium
 Sacra *Tagers of Stuppers Wissen* intitulantur:

- contra quos videatur Antonii de Molina *Instructio*
Sacerdotum. Tu autem Virgo devota, quæ spon-
 tu præsentiam amas eaque delectaris, ama Sacrum
 protractius, & desiderata quò diutiùs eâ fruaris: ægrè
 fert pius Jesus advertens sui tibi tædium obrepere,
 teque ad ejus anhelare discessum: suspectus est ei
 tuus erga eum amor, cùm is, si verus sit, vellet ama-
 tum semper apud se retinere, nec eum nisi ægrè di-
 mittat: patet id in procis ubi convenerint nesciunt
 divortia, quâ de causâ ancillas nupturientes non
 amant matresfamilias non enim jam nisi perfunctio-
 ria in illis ministerii cura, toto in Amasium abripiun-
 tur affectu: *Inveni quem diligit anima mea*, dicebat
 una, *tenui eum, nec dimittam*. *Quibus Christus tenetur?*
commentatur in hæc verba D. Ambrosius, non
injurie nexibus, non restium nodis, sed vinculis chari-
tatis, mentis habenis stringitur & animæ tenetur af-
fectu. De Jonatha scribitur: *anima Jonathæ con-*
glutinata est animæ David, & dilexit eum Jonathæ
quasi animam suam, amor enim quasi gluten est
 quod amantes conjungit, unde nisi difficulter disjunc-
 tuntur & à se mutuò divelluntur, qualis si & tædium
 fit, ut esse debet, si verus erit, nonquam tibi tædium
 obrepat. Puerulum Jesum delatum in Templum
 Solymæum amplexantem intuere Simeonem: quare
 ægrè dimittit! tædebat vivere sine ejus præsentia
 Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum
 tuum in pace. Idem ille Jesus sub speciebus eius
 charisticis tibi in Ecclesia & Arâ se præsentem sistit
 anhelasti ad ejus præsentiam? ut ille Simeon, qui
 sponsum acceperat à Spiritu sancto non visurum se mor-
 tem nisi videret Christum Domini, amplexare

lum ulnis amoris, brachiis cordis & affectuum, non te tædeat ei diutiùs adhærescere, sed grave sit & molestum tam citò privari illo, ut & revera illi est, ubi in festinos sacerdotes inciderit, qui eum tantâ celeritate protrudunt.

TERTIA postulat Modestiam, quam multis inculcat S. Ambrosius, *Maxima est*, inquit, *vir-* L. 3. de
tus tacendi, præsertim in Ecclesia: quæ taciturnitas *Virg.*
 in eo consistit; non solum quòd colloquia non mis-
 ceas, (*In Oratorio nemo aliquid agat*, inquit S. Au- *Epist.*
 gustinus, *nisi ad quod est factum, unde & nomen ac-* 109.
cepit:) sed & ut tussim & excreatus comprimam.
 Optarem ego aliquibus familiariorem hanc mode-
 stiam, iis inquam, quæ quando ad Consecrationem
 cymbalo signum datur attentionis, suâ tussi & ex-
 creatu omnem propè attentionem disturbant etiam
 alios proritantes. „ Illud exemplum proditur (sunt
 „ verba S. Ambrosii) Alexandro sacrificante Ma- *Lib. 3. de*
 „ cedonum Rege puerulum barbarum, qui ei lumen *Virg.*
 „ accenderet, excepisse ignem brachio, atque adusto
 „ corpore mansisse immobilem, nec dolorem pro-
 „ didisse gemitu, nec tacito pœnam indicasse fletu:
 „ tanta in puero barbaro fuit disciplina reverentiæ, ut
 „ naturam vinceret: atque ille non Deos, qui nulli
 „ erant, sed Regem timebat, quid enim timeret eos,
 „ qui, si idem ignis eos contigisset, arfissent? & tu
 „ in ministerio Dei Virgo gemitus, excreatus, tuf-
 „ ses, risus abstine. Attendite ad hæc, quæ indispo-
 sitioni vestræ immodestiam vestram imputatis, *debili-*
tatem excludat religio, instituat consuetudo naturam, in- *Ibid.*
 quit idem, qui & addit: „ Frequens sermo est, cùm
 „ plurima ranarum murmura religiosæ auribus ple-

bis obstreperent, Sacerdotem Dei præcepisse, ut, conticerent & reverentiam sacræ deferrent orationi, tum subito circumfusos strepitus quievissent: Silent igitur paludes, homines non silebunt? & irrationale animal per reverentiam recognoscit, quod per naturam ignorat, hominum tantam esse immodestiam, ut plerique deferre nesciant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati? hæc S. Doctor. Certè si constaret quantoperè Sacerdotem turbent isti motus, non dubito quin plurimum major violentia & amplior esset continentia, nec dicam eos etiam honestati repugnare; quæ namque præstolabunda alicujus, ubi eum viderit advenientem, præsertim si majoris se conditionis sit, tussire vel excreare incipiet, & non potius cum omni modestiâ eum excipiet, eique aderit? idem Virgini, idem præscriptum sit omnibus.

Judith.
10: 20.

QUARTA denique præcipit Reverentiam. De Judith dicitur quod adducta in præsentiam Holofernis, *cum in faciem ejus intendisset, adoravit eum prosternens se super terram*: non Holofernes est in cujus conspectu compares, non inquam is expugnator & hostis tuus est, sed defensor & salvator tuus, Deus & Dominus tuus: debito igitur honore eum affice, flecte coram eo genua corporis & cordis, id namque vult Pater cœlestis, *ut in nomine JESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum*. Omne genu flectendum, neque enim sufficit flectere genua corporis, id est, corpore adesse præsentem, sed & flectenda genua cordis, id est, interiore devotione ei assistendum, impediendaque omnis evagationis mentis, genibus namque flexis non datur facultas

Philipp.
2: 10.

tas divagandi. Tres Magos æmulare, qui, cùm gratiâ videndi Jesum beati essent, *procidentes adoraverunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.* Math. 2: 11. Aperi & tu thesauros cordis tui, offer ei aurum dilectionis, id est, actus aliquos virtutum quos in amorem ejus hodie exerces, thus fervidæ orationis, ac myrrham mortificationis, quam etiam hoc die operi mancipabis. Ut namque ille non venit ad te manibus vacuis, ita neque tu sine munusculis ad eum venire debes: *Filia Babylonis misera, sed Filia Tyri in muneribus:* Psf. 136: 8 iterato hoc præscriptum in veteri lege: *Non apparebit ante Dominum vacuus, sed offeret unusquisque secundum quod habuerit, juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei.* Psf. 44: 13. Deut. 16: 16. & 17. Hic Martham noli æmulari, sed imitare Mariam sedens secus pedes ejus, præscribitur id dum Sacerdos sub Præfatione dicit: *Sursum corda.* Et Minister nomine omnium respondet: *Habemus ad Dominum:* ut admonitio sit, juxta de Orat. Dominica. *proprianum, Nihil aliud se quàm Dominum cogitare debere.* Vide itaque quomodo te habeas: En ipse stat cant. 2: 9. *post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.*

P A R S. I I I.

De Exercitiis sub Missa.

TRia, quæ in Sacerdotio non tam legali quàm Evangelico spectari possunt, brevi hac sententiâ complectitur Apostolus: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona* Heb. 5: 1.